





DISPUTATIO POLITICA
De
SUMMA POTE-
STATE,

Quam,

PRÆSIDE

VIRO Praclarissimo

Dn. M. JOHANNÉ MICHAELÉ Strauß/

Collegii Philosophici Adjuncto meri-
tissimo,

Præceptore ac Fautore et atem colendo

publico submittit Examini

JOHANNES KLEINSORGIUS,

Serveſtâ Anhaltinus.

A. & R.

Ad diem 16. Martii Anni M. DC. LXI.

In Auditorio minori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academiæ Typographi.

DISPUTATIO POLITICA

SUMMA POTESTATIS

TRIPARTITA

DR. M. JOHANNIS MICHAELIS STANISLAE

COLLEGIUM PHILOSOPHICUM ABBATIS MONASTII

RECTORIS ABBATIS ABBATIS

PUBLICO SUBURBANO EXAMINE

JOHANNIS KEINIGSBERGER

ANNO DOMINI MDCCCLXXII

IN ABBATIA MONASTII, HODIE MARTINI

Typis JOHANNIS STANISLAE



I. N. D. N. J. C.

Præloquium.

Nanta est Politicæ disciplinæ præstantia, tanta dignitas, tanta itidem utilitas, necessitasq; , ut absq; illâ Resp. rectè gubernari atq; consitui nequeat. Hinc etiam Adamus Contzen. l. 1. c. 2. p. 5. Pol. Politicam, imperandi scientiam, & omnium artium Dominam, omnium actionum civilium moderatricem, societatis humane conservatricem, & omnium scientiarum humanarum maximam nominat. Item Arist. can. lib. 1. c. 2. Ethic. vocat maximè Architectonicam & κυβερνητικὴν seu Dominam, quippè quæ in omnes scientias & disciplinas imperium obtinet, finesq; reliquarum ad hanc ordinantur, destinantur & referuntur. Quâ disciplinæ præstantiâ, dignitate, utilitate, necessitate & nos commoti, aliquam ex hâc nobis selegimus materiam, de Summa Potestate seu Majestate συζήτησιν præsentiarum instituturi. Antequam eam aggrediamur, Deum Ter Opt. Max. rogamus supplices, ut nobis suâ gratiâ atq; auxilio præstò esse, labori nostro clementer favere & benedicere velit, quò bono cum fructu propositum nostrum procedat!

THESIS I.

Natura Summæ Potestatis commodissimè, ut fert consueta eruditus methodus, ex ejusdem definitione eruta dispalescet. Quippe ex quâ intelligitur, quid sit, de quo disputatur.

2. Definitio hujus duplex est, *Nominis & Rei*, illius evolutio græco nomine Ονοματολογία communiter, hujus πραγματολογία vocitatur.

A 2

3. In

3. In *Ὀνομασλογία* considerabimus partim *Etymologiam*, seu nominis notationem, partim *Homonymiam*, seu variam vocis acceptionem, *Synonymiam* deniq; subjuncturi.

4. *Etymologiam* quod concernit Majestatis, aliis eajā *Magnitudine* est, ut ita Majestas dicatur, quasi major status, hoc est, omnibus aliis imperiis ac potestatibus, dignitatibus quoq; & honoribus jus quoddam & fastigium superius, quō post Deum immortalem in statu Reip. nihil haberi aut cogitari majus aut excelsius possit. Sed rem hi magis, quā nomen, intueri videntur.

5. Aliis, & rectius quidem, vox præsens à majus derivatur, non secus, ac aliàs tempestas à tempus originem trahit, & egestas ab antiquā voce egus.

6. Quā *Homonymiam* vocabulum Majestatis dupliciter supponitur, *Concretivè* sc. seu *materialiter*, & *Abstractivè* seu *formaliter*.

7. *Concretivè* vox accepta Majestatis *ipsas personas* Majestate & potestate summā legibusq; solutā fulgentes significat.

8. *Abstractivè* designat *potestatem & functionem ipsam*, quæ posterior acceptio, quia simplicior, huc propriè pertinet.

9. Facit huc, quam circumferunt Majestatis, in *Realem* & *Personalem*, Divisio. Quam licet ad bonum sensum reduci posse dixeris, vix tamen ac ne vix, prout ea ab Autoribus communiter describitur, distinctionem æquivoci hanc esse in sua æquivocata, pernegare poteris.

10. Quantum enim ad *Realem*, hanc esse dicunt illam, quæ ipsi *Monarchiæ* perpetuò inhæret, eiq; coæva semper est, nec per decessum *Monarchæ* unā exspirat, sed quamdiu *Monarchiæ* corpus durat, imò etiam sub ipsis interregnis & alterationibus gubernationum, persistit.

11. *Personalem* ajunt esse, quæ personam *Monarchæ* respicit, in quam collata est, & cum eadem coincidit, & ex eadem in aliam transferri potest.

12. Ex quibus ita positis asserunt, illam, quam imperii, ab hac, quam imperantis dicunt Majestatem, tanquā fundamentum à fundamentato, distingvi, adeoq; hanc illi, tanquam
supe-

superioris, obstringi, nequid Resp. detrimenti capiat, & in foederibus quandoq; regni Majestas, non Regis, exprimat.

13. Verum enim verò distinctio hæc, dexterrimo Dn. Wendeleri Præceptoris nostri summè venerandi iudicio, tolerari nec potest, nec debet.

14. Principiò enim potestas illa, quæ Principi à populo conceditur, aut *plenaria* est, aut *limitata*. Si hoc, Princeps nullam Majestatem consequitur, quippe quæ in absolutâ potestate consistit. Si id, Princeps seu summus Magistratus totalem, realem & omnem accipit potestatem, ita ut nulla penes populum remaneat, nisi in unâ numero Rep. duo summa seu duas potestates statuere plus quàm absurdè gestias.

15. Addo, quod aperta distinctio hæc involvat contradictionem. Nam si Majestas est summa potestas, summa autem, quæ, præter Deum, non agnoscit superiorem, necessum est, quod omnes, quicumq; Majestatem in realem & Personalem dividentes, hanc illi inferiorem esse volunt, affirmant, eandem esse summam & non summam potestatem.

16. Nec parum nostræ sententiæ largiuntur roboris, quibus realis Majestas impropriè dicta talis est, & huic tanquàm superiori, Personalis obstringitur.

17. Quis enim ignarus adeò, qui, quod impropriè dicitur, nihil minùs esse nesciat, quàm id, quod esse dicitur, v. g. dicitur Herodes vulpes impropriè, Deus brachiatus, oculatus &c. cum tamen ille nihil minùs sit, quàm animal illud, quod vulpem nominamus, quadrupes, hic nihil minùs, quàm brachiatus, oculatus &c.

18. Ex quo satis apparet, divisionem hanc veram non esse, sed distinctionem modò nominis æquivoci in sua æquivocata, id quod ante §.9 volebamus.

19. Quid? Quod majus multò ex concessâ hæc impropriè vocis Majestatis de personali acceptæ elici liceat ἀτοπον, id sc. quod nulla planè detur Majestas.

20. Nam si Majestas realis impropriè talis est ac dicitur, non, ut modò demonstratum, est Majestas; Neq; tamen, si realis Majestas personali est superior, personalis erit Majestas,

A 3

quia

quia hæc nihil est nisi summa potestas, summa autem non est, quâ superior est alia.

21. Sed hæc de *Homonymiâ*. *Synonymiam* quod attinet, aliis Majestas dicitur summa potestas, aliis maximum in Rep. imperium, aliis jus summum, aliis aliter. Grajus est *πολίτευμα*, *ἀκρῆ ἐξουσία*, Italis Signoria, Hispanis Majoria.

22. Quo spectat locus Gen 49. v. 10. ubi per Metonymiam sceptrum Juda, pro summa ejus potestate, usurpatur, non secus, ac aliàs toga pro pace, arma pro bello hinc inde poni deprehendimus.

23. De *ὀνοματολογία* hæctenus: quam justo ordine excipit *πραγμαλογία* seu realis Definitionis evolutio, in quâ observetur necessum est partim Genus partim Differentia specifica, ad quam etiam referri solent jura Majestatica.

24. Genus Majestatis rectissimè statuitur potestas, hoc est, jus & imperium in subditos quodcunq; & in genere tale, quod nec summum est, nec inferius aliquod; sed utrumq; ambitu suo complectitur, ad alterutrum tamen, Differentiâ mediante, contrahibile.

25. Unde facillimè colligitur potestatem Majestati haud esse *Synonymum*, absq; additamento positam: & Cicero distinctionem aliquam inter *majestatem*, *imperium*, *autoritatem* & *potestatem* insinuâsse videtur, quando priorem populo Romano tribuit, alteram Magistratibus, tertiam Senatui, plebiq; ultimam.

26. Quare ut retro meet cum Majestate vox potestas, Differentia investiganda erit, quâ subjunctâ ad culmen hoc honoris in Rep. maximi felicius eò vehatur ac facilius.

27. Hanc autem, unâ voce cum exprimere Latini nequeant, pluribus circumscribentes eam consistere ajunt, partim in formâ partim in materiâ illam faciunt supereminentiam, eamq; non quamvis; sed majestaticam, hoc est, quæ sit summa in civitate ubiq;. Hanc dicunt esse Subjectum, quod vir unus est, pluresvè pro varietate formarum Rerump. Ordine jam de singulis.

28. Quod

28. Quod ad *formam* attinet, *Summa* dicitur *potestas*, non in respectu ad Deum, quippè quem agnosci superiorem debere solenne illud Tituli: *Wir von Gottes Gnaden*, signum est & *τελευτησιον*. Nulla enim potestas nisi à Deo Rom. 13.1. Sed in ordine ad hos, qui sunt in civitate, in quâ superiorem sese sine contradictionis implicatione nequit recognoscere.

29. In civitate additur, ut excludatur ea, quæ est Parentum in liberos, Dominorum & Dominarum in servos servasq; mariti in Conjugem &c. Potestas, quippe quæ non tam in civitate, quàm in domo, deprehenditur, adeoq; etiam ante constitutam civitatem fuisse certum est.

30. Ubi velim notes parùm ad summam Majestatem facere locorum & provinciarum multitudinem. Majestas enim æquè convenit, qui uni provinciæ imperat, modò in omnibus summam potestatem obtineat, quàm ei, qui pluribus.

31. Ubiq; subjungitur ad significandam universalitatem potestatis Majestati competentem, *quâ subditos, quâ tempora, quâ objecta & negotia*.

32. *Quâ subditos*, dixi, non ut includantur, qui sub alterius degunt jurisdictione, minùs multò qui in toto terrarum orbe; sed hi modò omnes, qui in Rep. Majestaticæ superioritatis sunt expertes, sive literati illi sint sive illiterati, sive Laici sive Clerici, sive Nobiles sive ignobiles, sive plures sive pauciores.

33. Deindè potestatem hanc Majestati competere dixi universaliter etiam *quâ tempora*, ut non ad tempus ei sit concedita; sed perpetua, nec nisi morte vel graviori aliâ de causâ deponenda.

34. Sic nec unicum tantummodò aut quædam Majestas sibi vendicat *negotia*; sed omnia omninò, quæcunq; ad Reip. curam & administrationem pertinent; & tali quidem sub conditione, ut hominum nulli de iis rationem reddere cogatur.

35. Undè sequitur Majestatis potestatem non debere esse modò summam; sed & perpetuam; non perpetuam modò; sed & (1) propriam (2) legibus solutam.

36. Propria sit, non ut excludatur jure hæreditatis vel electionis lege liberè concessa; sed, precario modò quæ suscipitur
pote-

potestas. Legibus soluta sit, non divinis aut naturalibus; sed saltem civilibus.

37. Coeterum ad *formam* quoq; *Majestatis* referunt quibusdam haud adeò benè dicta regalia, rectiùs aliis *jura*, quæ plura quidem sunt, paucissimis tamen ante, quàm ad *materiam* descendamus, enodanda.

38. Primum horum est *leges & ferre & abrogare*. Eo ipso enim distinguuntur à *Nomothetis* reliquis, quibus quidem conscribere leges tribuitur, confirmare tamen has, ut virtutem legis habeant, non possunt.

39. Alterum est *extrema provocatio*, quod subditi à *Legibus Imperatoriis* provocare nequeant, ad ipsas autem universis liceat. Quæ nisi huic competeret, dandum foret superius aliquod imperium, superior potestas, ad quam ab hâc provocare liceat ac appellare, si hoc: *Majestas* esset non-*Majestas*; si quidem hæc superius sese in humanis nunquam, ut sæpiùs inculcatum, patitur.

40. Cui tertium hoc succenturiatum quasi est, *constituere scilicet Magistratus*, quod fluere videtur ex modo prælibatis. Ubi enim est extrema provocatio, ibi sit oportet Magistratum supremum, ad quem, & inferior, à quo fieri ejusmodi queat appellatio: nec hoc saltem; sed & hunc ab illo, cui *Majestas* est ratione constitutionis, dignitatis atq; potestatis dependere sequitur.

41. Quarto addunt *jus exigendi tributa & vectigalia*, non ut sudores subditorum luxu decoquant imperantes, quod à Deo severissimè Deut. 17. interdictum legimus; sed ut indè reparentur muri, restituantur civitates, & ædificia in esse suo, ut ajunt, conserventur publica. Breviter: imparet licet tributa *Majestates*; sed non nisi ad publicam utilitatem, Comicum illud, ne quid nimis, apprimè observantes.

42. Quintum faciunt *arma tractandi potestatem*, quæ non curam modo armamentarii publici; sed & bella disponendi, indicendi, finiendiq; jus sub sese comprehendit. Penes quos est jus belligerandi, penes hos quoq; est jus pangendi pacem.

43. Sextum est potestas *creandi Duces, Comites, Palatinos, Nobiles & alias* conferendi dignitates. Sic ab Henrico V. Imperatore Bohemiæ Ducem, Ottone III. Boleslaum acrem, Poloniae Prin-

Principem. Friderico I. Petrum Daniæ Ducem, ab aliisq; alios
Regio diademate & titulo exornatos legimus.

44. Septimum his jungunt *jus fundandi Academias*,
quippe quas à supereminente potestate unicè dependere testes
sunt vetustissimæ Bononiensis, Parisiensis, Pragensis & Patavi-
na Academiæ. Quod autem & Romanus ille *πολυπράγμων* hic
se se immiscuit & cætera inter & hoc jus suum fecerit, fraude
factum est & pravâ usurpatione.

45. Accensentur modò dictis *jus in religionem*, ad quòd
potestas Episcopos convocandi, congregandi Synodos, vocan-
diq; ministros pertinet, potestas in rem nummariam, legitima-
tio seu famæ restitutio, omnium judiciorum ordinationes, pœ-
narum & mulctarum compendia, fœdus faciendi, nundina-
rum & publicorum mercatum jura, viæ publicæ, flumina navi-
galia, ripatica, thesauri in locis publicis inventi, res pro dere-
lictis habitæ, & si qua sunt fortè alia.

46. Dividi hæc in *majora* consueverunt jura & *minora*.
Illa dicunt inseparabilia esse à Majestate, nec pati se transferri
in alios: hæc, quæ faciliùs illis concedere possit, immò, quæ
abesse possint & à summo Magistratu separari.

47. Sed malè, prout afferuntur, hæc. Sublatâ enim parte
vel minimâ ruit integrum, jura pars erant, integrum Majestas.
Quare, separato jure aliquo, etiam quod minoris videbatur
momenti, labefacturi ipsam summam potestatem firmissimè
concluditur.

48. Neq; tamèn hæc ita accepta volumus, ac si omnem
omninò denegemus Majestati communicationem; sed eam
tantùm, quæ privativa est, quæq; illum, qui inferior antè erat,
superiori æqualem facit, Majestatis possessionem in eum trans-
ferendo.

49. Distingvenda nempè probè est ipsa Reip. forma ab
administratione hujus & imperandi ratione, quæ non oportet
semper convenire & in omnibus; sed hæc ab illa diversa esse
potest, quin & sæpenumero est, pro Imperantis beneplacito.

50. Esto scilicet Princeps, cui displiceat omnia, quæ
curam Reip. spectant, negotia, suapte personâ expedire: is Ma-
jestati

gestati nil agit adversum, si unius alteriusve juris administratio-
nem uni pluribusve suorum intimorum, aut ad certum tempus,
aut in perpetuum quoq; quamdiu illi vixerint, demandet; hæc
tamen lege, ut salva juris delegandi soli maneat proprietas, usus
autem & exercitium saltem Curatori.

51. Tandem circa hoc notabis certamen, si quis jura Ma-
jestatis majora appellare malit, quæ circa nobiliora, & mi-
nora, quæ circa ignobiliora versantur, ei nos non repugna-
tuos.

52. Ad materiam jam prolabimur. Hanc non ex quâ
habet Majestas; Sed in quâ, quod alias Subjectum nuncupatur,
quodq; hic nullo modo erat prætereundum. Ratio. Quia Ma-
jestas accidens est: Accidens autem sine Subjecti factâ mentio-
ne imperfecta videtur atq; mutila.

53. Subjectum autem hoc non esse volumus *universale*
illud, quod *Civitas* est, per quam Majestas se ita diffundit, ut ni-
hil relinquat, quod non sub jugum obsequii sui redigat; sed *par-*
siculare, cui competit illa in civitate ubiq; potestas.

54. Hoc autem quævis perfecta Resp. est, quæ jura Ma-
jestatis habet omnia, adeoq; his in terris se superiorem agnoscit
neminem, sive ea recta fuerit, sive corrupta, sive ex duabus tri-
busve simplicibus formis mista.

55. Competit proinde Majestas in Monarchiâ *uni*, in
Oligarchiâ *paucis*, in Democratia *populo*, in Rep. ex Oligarchiâ
& Monarchiâ mixta *unipaucisq;*; Sed modo diverso, pro diver-
sitate mixtionis. Nam quandoq; jura dividuntur, interdum
quoq; uni paucisq; sunt communia.

56. Ex quo facile colligitur, quid de nostrâ Rep. moder-
nâ Germano-Romanâ, quæ simplex Monarchica non est, nec
simplex Aristocratica; sed mixta ex his, sit judicandum.

57. Id scilicet, quod Majestas in hæc non penes solum
Imperatorem, nec penes solos imperii status; sed penes Impera-
torem, Electores, Principes ac reliquos status simul, resideat, ita
quidem, ut jura quædam soli Imperatori convenient, quædam
Imperatori & statibus imperii simul, & quidem vel hoc modo,
ut non nisi conjunctim Imperator cum Septemviris aut reliquis
statibus, in comitiis vel aliis conventibus congregatis, jura illa
exer-

exercere possit, vel hoc modo, ut Imperator & singuli status etiam separatim illa negotia, inconsultis cæteris, in suis tamen tantum territoriis, & secundum imperii statuta possint expedire.

58. Genus sic fuit, fuit & Differentia. Ex quibus hanc Majestatis exstructam damus Definitionem, quod videlicet sit *summa in civitate ubiq; potestas penes unum pluresvè divisim aut indivisim residens.*

59. Jam ad *Divisionem*; Ubi quæstio est cum primis; Utrum Majestas sit *divisibilis*, an verò omnem omninò *divisionem* respuat? Illi faventibus Jure peritis, huic Politici vulgò suffragantur.

60. Nos, medio ire cum tutissimum, distincto opus esse ducimus. *Divisibilis est Majestas, est & indivisibilis.* Sed diverso respectu. Est, quia totum, ut cum Metaphysicis loquamur, potestativum est ex multis partibus, in quas dividi possit, aggregatum: Non est, quia, quando aliquid ab eadem aufertur, Majestas amplius non est integra. Quando aufertur, inquam: communicari enim posse, quæ jura quædam, jam §. 48. 49. & 50. approbavimus.

61. De Divisione Majestatis, quam, quoad materiam, in personalem & realem, afferunt, §. 9. & seqq.: de eâ, quæ ratione formæ sive excellentiæ jurium Majestatis, dividi ajunt ipsa jura in majora & minora §. 46. seqq. egimus. Repetere hîc, ne crambem bis coctam apponamus, non est integrum.

62. His ita expositis, sequitur, quid conservet Majestatem, quidvè illam violet, enucleandum, idq; quantum fieri poterit, brevissimis.

63. Quod ad prius: *Leges & Arma summa potestatis conservantes causas facimus.* Nec sine ratione. Cum enim non bello modò; sed pace etiam exercenda Majestas sit & conservanda, sequitur, quod nec sine legibus, nec sine armis tuta esse possit.

64. Non sine Légibus, cum ex his tota vis gubernandi pacis tempore fluat. Leges autem ut à Majestate promulgatæ sunt; sic quoq; illarum executio Majestatem conservat.

65. Non

65. Non sine armis cum hostibus externis Majestati infidias fruuentibus sit resistendum. Obtinet enim ibi illud: vim vi repellere licet, & qui nostra petit arma, illi armis occurrendum est.

66. Quod ad posterius: quid sc. Majestatem violet, communiter id crimen læsæ Majestatis nominatur & maximum judicatur in Rep. delictum parricidio in familiâ æquivalens.

67. Committitur autem, cum quis subditorum adversus Remp. vel Principem ejusq; securitatem, tranquillitatem & salutem aliquid grave molitur v. g. si quis regnum affectet, aut Magistratum violet, nec in personam solummodo; sed & in leges à personâ sancitas, jura & privilegia personæ debachetur.

68. Ex quo patet vitii hujus partim Subjectum, in quo committitur, quod subditus est, ut excludatur extraneus; partim objectum, in quod, cujus vicem omnis, qui Majestatem habet, sustinet.

69. Delictum hoc ut horrendum est, ita & pœna ejus atrocissima. Animadvertitur enim in hoc extremo supplicio cum publicatione bonorum, damnatione memoriæ & liberorum punitione.

70. Et sic ad metam venimus. Quare, ne in nimium excrescant hæc de Majestate chartulæ, pedem hîc, quod ajunt, figimus agentes

SOLI DIVINE MAJESTATI PECCARE & ORE GRATIAS.

Imprium Summum, tanto sub Præside, ponis,
Punctula & exponis per breviora: probo.
Sed probo quid dicam? probat hæc Te charta, probare
Quâ vis Principibus Te studiumq; Tuum.
Gratulor hinc potius: cedant ut mascula quondam,
Bella hæc in laudes (præmia bella) Tuas!

f.
M. Johannes Jüttemannus,
SS. LL. Stud.

ULB Halle


3

006 681 980



Handwritten signature or mark





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

20 M

1661 16

POLITICA

POTE.

TE,

1711,

SIDE

clarissimo

MICHAELE Strauß

ci Adjuncto meri-

no,

ore et atem colendo

mittit Examini

LEINSORGIUS,

Anhaltinus.

et Ry.

Anni M. DC. LXI.

ri, horis matutinis.

BERGÆ

RI, Academiae Typographi.

